
Die Ursachen Der Verbannung Des Ovid (German Edition)


Huber Johann

Title: Die Ursachen Der Verbannung Des Ovid (German Edition)

Author: Huber Johann

This is an exact replica of a book. The book reprint was manually improved by a team of professionals, as opposed to automatic/OCR processes used by some companies. However, the book may still have imperfections such as missing pages, poor pictures, errant marks, etc. that were a part of the original text. We appreciate your understanding of the imperfections which can not be improved, and hope you will enjoy reading this book.





9342

Die Ursachen der Verbannung

des

Ovid.



Von

Johann Huber,
kgl. Studienlehrer.



Programm

zum

**Jahresbericht über das Kgl. alte Gymnasium
zu Regensburg**


im Studienjahr 1887/88.



Stadtmhof.

1888
Druck von J. & K. Mayr.

Lo 10.703



Constantius Fund.

Mannigfach sind die Hypothesen, die über die Gründe der Verbannung des Ovid nach Tomi aufgestellt wurden. Man ist bei dieser Untersuchung zunächst angewiesen auf Stellen in den Episteln aus dem Pontus und Tristien, die im Laufe der Abhandlung aufgezählt und soweit nötig besprochen werden. Ausserdem liegt vor eine Stelle bei Aurelius Viktor (Epitome de vit. et mor. imp. Rom. I § 24); dieselbe lautet:

Nam et poëtam Ovidium pro eo, quod tres libellos Artis amatoriae conscripserat, exilio damnavit. Ferner eine Stelle bei Apoll. Sidonius (Carmen XXIII vers. 157 sequ.); sie lautet: Et te carmina per libidinoso Notum, Naso tener, Tomosque missum, Quondam Caesareae nimis puellae Falso nomine subditum Corinnae. — Daran schliessen sich folgende Angaben in den verschiedenen ‚Vitae Ovidii.‘

Ex Vita ex vetusto codice Pomponi Laeti, cuius apographum exstat in Vaticana Bibliotheca: Tandem cum venisset in suspicionem Augusti, creditus sub nomine Corinnae amasse Juliam, in exilium missus est. —

Ex Codice Farnesiano: Scripsit inde epistolas quasdam ad Tiberii filiam sub falso nomine ac ficto Corinnae inscriptas, quae propter crimen laesae maiestatis combustae fuerunt; inde et exilium meruit. —

Ex Vita per Paulum Marsum, Piscinatem Poëtam Cl.: Sed huius exilii causa varia refertur; de qua alias late disseruimus, refellentes varias et eorum imprimis opiniones, qui eum Sidonii testimonio Liviam seu Julii Augusti aut Tiberii filiam amasse referunt et ea causa in exilium missum eamque sub Corinnae nomine celebratam; quod facile refelli potest, si diligentius Sidonii verba trutinabimus, qui cum velit hendecasyllabis Narbonensem quendam poëtam super ceteros extollere, quos aut aperte nominat

aut periphrasi ostendit, de Ovidio sic inquit: Et te carmina per libidinosa Notum, Naso tener, Tomosque missum, Quondam Caesareae nimis puellae Falso nomine subditum Corinnae; hoc est, quod multos decipit. Sed ordine ipso interpretemur versus et res ipsa lucidior fiet. Superat, inquit, te Naso tener lascive notum, infamem per carmina libidinosa, propterea quod artem amatoriam scripsisti: et missum Tomos. Viden' quemadmodum hoc loco coniungit et missum Tomos per carmina quoque libidinosa et sine coniunctione subdit: Quondam nimis subditum puellae Caesareae falso Corinnae nomine. Per haec verba non ostendit, ea causa missum esse in exilium, quod Caesaream puellam amarit, sed quod artem scripserit. Sed quae fuerit haec Caesarea puella, in dubio est; nam si recte perspicimus, puellam non tam pro filia aut nepte quam pro ancilla accipere possumus uti et puerum, cum pueros non modo filios et qui sunt aetate puerili sed etiam servos vocamus, ut saepenumero apud poëtas et oratores invenies; quod etiam ostendit Paullus iurisconsultus de verborum significatione. Poterat igitur Caesaream ancillam amare et eam sub Corinnae nomine celebrare. In libro enim ad Corinnam nihil est dignum principe muliere; nam ad eandem coenam eunt; certe cum principibus non isset. Multa imprecatur in virum; in Caesarem non ita fecisset. Accedit illa ad illum; non isset princeps. Laniat capillos; non ita demens fuisset, ut principis laniasset. Praeterea in omnibus querelis et quae in libro Tristium et quae in his de Ponto scriptae sunt, nihil de amore queritur, nisi quod artem scripserit, nihil in amorem imprecatur; erroremque, in quo damnatus sit, non culpam, non scelus, non crimen vocat; ac si demonstrare velit errore in alienum crimen incidisse vel ut alii dicunt, quod Juliam nudam viderit vel quod Caesarem Augustum in re turpi deprehenderit. Idque facile ex eo loco percipi potest: Cur aliquid vidi? cur noxia lumina feci? Cur imprudenti cognita culpa mihi? quorum versuum sententiam multi perverterunt; dixit enim cognita culpa, non hic de sua, sed de alterius culpa dixit. Et in hoc subdit Actaeonis exemplum, qui insciens in Dianam nudam incidit; sic et eum in-

scium in aliquid simile incidisse coniciendum est, quod omnibus negari non potest, cum in tertio Tristium libro dicat: Inscia quod crimen viderunt lumina, plector Peccatumque oculos est habuisse meum — et pluries in eandem sententiam redeat. Etenim, quamvis Caesaream puellam amasset, certe non hoc errorem, non inscie delinquere dixisset; nam et conscie et summo scelere in Augustam maiestatem deliquisset. Relinquitur ergo, quod aliquid viderit, ex quo Augustum in odium provocavit et exilio sub artis amatoriae culpa multatus sit. —

E. V. per Raphaëlem Regium: Cum vero ad Juliam Augusti filiam sub Corinnae nomine lascivas de amoribus elegias scripsisse deprehensus foret, in exilium annos quinquaginta natus ab Augusto ipso fuit eiectus in Pontoque relegatus. Tametsi autem et ipse alia quaedam iactat tegendi criminis gratia et plerique aliter putant, illam tamen, quam dixi, fuisse exilii causam ex his Sidonii poëtae lepidissimis versibus aperte demonstratur: Et te carmina per libidinoso Notum, Naso tener, Tomosque missum, Quondam Caesareae nimis puellae Falso nomine subditum Corinnae. —

E. V. ex Petri Criniti Lib. III de poëtis latinis: Causam vero tam saevi tamque incivili exilii, varie multi (ut in re ancipiti evenit) interpretantur.

Alii hoc referunt ad eos libros, qui ab eo scripti sunt de amoribus, quod essent lasciviores, ut est auctor Sextus Aurelius. Plerique existimant, provenisse hoc ex adulterio cum Julia Augusti filia, qua in re, etsi P. Ovidius nihil omnino aperte rettulit, tamen alicubi videtur idipsum insinuare velata proprii criminis causa. Itaque Sidonius Apollinaris videtur existimasse, ob id fuisse illum relegatum ab Augusto, ut satis declaratur his versibus: Et te carmina per libidinoso Notum, Naso tener, Tomosque missum, Quondam Caesareae nimis puellae Falso nomine subditum Corinnae. Hoc idem innuit Ovidius, cum refert: Lingua silet, non est ultra narrabile quicquam. Et alibi servata ratione obstinati silentii: Nec leve nec tutum, peccati quae sit origo Dicere: tractari vulnera nostra timent. Minime autem obscurum est,

Juliam Augusti filiam deflagrasse magna libidine et infamem fuisse vulgatis per urbem adulteriis, ut ab antiquis scriptoribus refertur. Quapropter inclinatus animus, ut existimem, haud satis potuisse Octavium sibi temperare, quominus desaeviret in Ovidium, conficta causa novi criminis, quod in impudicis carminibus operam atque studium posuisset. —

E. V. ab Aldo Pio Manutio: Ubique igitur exilii causam tum libros de Arte tum errorem fuisse commemorat; quis vero ille error fuerit, numquam aperuit, ne magis Augustus sibi irasceretur; verum quia, ut ipse ait, Nitimur in vetitum semper cupimusque negata; quid nam id fuerit, plurimi scire conati sunt et conatur semper aliquis; quapropter suspicati sunt quidem, turpe aliquod Augusti secretum casu vidisse Ovidium, quod non placet, quia toties obiciendo scelus immitiorem reddidisset Caesarem, quem lenire et placare studebat; alii vero, quod Augusti filiam falso Corinnae nomine amaverit, quae, ut Plinius et Tranquillus scribunt, flagravisset et adulteriorum infamia et damnata est; qua de re sic Sidonius poeta: Et te carmina per libidinosa Notum, Naso tener, Tomosque missum, Quondam Caesareae nimis puellae Falso nomine subditum Corinnae; quod non videtur, quia si ita esset, graviter et scienter in Augusti maiestatem deliquisset Ovidius, non, ut ubique ipse scribit, per errorem et inscienter; praeterea, quam ficto nomine Corinnam appellavit, potissimum se testatur in *Amoribus* libro primo eleg. V dicens: Ecce Corinna venit, tunica velata recincta, Candida dividua colla tegente coma Singula quid referam? Nil non laudabile vidi Proveniant medii sic mihi saepe dies. Quare si ea vel filia vel neptis vel ancilla Caesaris vel quaecunque alia fuerit sic illi cara, ut propterea Ovidium relegaverit, non error, sed scelus fuisset; non inscius vidisset crimen, sed sciens fecisset; adde, quod in eum errorem incidit iam senex; Corinnam vero juvenis amavit; sic enim de se ipso quarto *Trist. eleg. X v. 57—60*: Carmina cum populo primum juvenilia legi Barba resecta mihi bisve semelve fuit. Moverat ingenium totam cantata per urbem Nomine non vero dicta

Corinna mihi. — Nec puto hic eam quasi gaudens nominasset, si eius miseriae et exilii causa fuisset. Credendum certe est, aliquid ab Ovidio per errorem visum cognitumque, ut propterea ab offenso Augusto sub Artis amatoriae culpa Tomos relegatus sit; sed quidquam illud fuerit, cum sciri ipse noluerit, nequidquam quaerimus, praesertim cum, ne quaeratur, sic ipse iubeat: Ecquid praeterea peccarim, quaerere noli, Ut pateat sola culpa sub arte mea. —

E. V. ex Lili Greg. Gyraldi de Poëtarum historia libro quarto: Exilii vero ipsius varie causa traditur, tametsi ipse non exulem sed relegatum ait, eam ipse triplicem innuit, qua de re multi multa: Illam ipse praetulit, qua et ceteras (ut opinor) praetexuit Augustus, quod suo scilicet carmine de Amandi arte Romanam iuventutem corruptisset. Ego omnes quadam ex parte veras fuisse puto: eam tamen potissimum, quam et Sidonius Apollinaris de Corinna suis versibus attigit, quod videlicet eo ficto nomine Juliam his versibus significaret: Et te carmina per libidinosa Notum, Naso tener, Tomosque misum, Quondam Caesareae nimis puellae Falso nomine subditum Corinnae. Quam opinionem cum alii tum suo carmine in Nutricia Politianus secutus est. Tradunt quidam, quod cum filia Augustum parum honeste iacentem vidisset; quod et illo ipsius poëtae versiculo significari volunt: Cur aliquid vidi? cur noxia lumina feci? Nam et de C. Caligula Suetonius ita tradit: C. Agrippa se nepotem neque credi neque dici ob ignobilitatem eius volebat succensebatque, si qui vel oratione vel carmine imaginibus eum Caesarum insererent. Praedicabat autem, matrem suam ex incesto, quod Augustus cum Julia filia admisisset, procreatam. Haec Suetonius. Sunt qui rem hanc in puerum ineptius referant, sed in re huiusmodi, coniectura potius quam certa aliqua ratione dicuntur. Sunt et qui de Maecenate nihil non suspicentur; quem quod nunquam nominavit, nescio quid de Julia confingunt. Exstant Caecilii Minutiani Apuleii fragmenta, in quibus de Ovidio poëta haec fere produntur, eum scilicet Calendis Januariis, qua die T. quoque Livius decesserit, anno sui exilii septimo, hominem esse desiisse. Idem Minutianus ait, item, quem Ibin simulato

nomine appellarat, Corvinum fuisse, qui exulantis poëtae uxorem sollicitasset, relegationis causam fuisse, quod Augusti incestum vidisset. —

E. V. per Christ. Zarotum Justinopolitanum compilata: Sive propter libros, quos de arte amandi composuit, exularit, quod non mirum videri debet, siquidem feruntur libri huiusmodi a Julia et Drusilla vehementer concupiti perlectique assidue, unde et suspicio orta est, incensas libidine amatores fuisse secutas. Caesarem vero eo usque excanduisse, ut et auctorem huius mali in exilium pepulerit Ovidium et pariter mulieres; tametsi quid meruerat Ovidius vel quonam pacto potuissent eius blandimentis carminis, nisi suum corpus antea prostituere cupivissent, corrumpi, sive (ut alii volunt Sydonii auctoritatem in medium afferentes) quid Juliam Augusti puellam ex Livia filiam amarit, quam ab Ovidio falso nomine appellatam tradunt; quae causa a nobis minime probari potest nec a quoquam docto, si Sydonii verba trutinaret et, quid de Corinna ab Ovidio scriptum sit, leget, haud principis puella digna, sive quia Liviam Drusillam nudam viderit, aut Augustam principem, cum exoletis consuescentem, quae ambae causae satis placent, cum et ipse quoque iudicaret: Cur aliquid vidi? cur noxia lumina feci? —

E. V. ab Herc. Ciofano: Eius exilii sive potius relegationis causam longe veriore eam esse puto, visum a se forte fortuna Augustum Caesarem in re quadam turpi atque obscoena. Testatur enim Aristot. lib. II. de Arte dicendi, nullum esse tam magnum tamque vehemens odium quam illud, quod ex eo nascitur, cum quis in eiusmodi re turpi deprehenditur. —

M. Justi Gothofredi Rabeneri dissertatio de Ovidii exilio: Exilii praetextum fuisse libros amatorios, ipse passim fatetur et excusat Elegia ad Augustum; veram autem culpam trepide et varie circumloquitur. Nunc enim errorem vocat lib. II. Trist.: Perdiderint cum me duo crimina, carmen et error. Alterius facti culpa silenda mihi. Modo se vidisse aliquid et noxia lumina fecisse queritur, modo criminis sui curiosos arbitros plane deprecatur, ut lib. II. de Ponto: Et quid praeterea peccarim, quaerere noli.